

consulibus Pisoni et Gabinio in perniciem M. Tulli consensisse, ut ea, quae in consulatu gesserat, permanerent.

§ 42. Intenta signa legionum existimari cervicibus vestris falso, sed putari tamen.

Consultissimo temperamento et C. Caesarem perstringit invidia et tamen nihil accusat exerte. Hac enim . . ., qua dicit multos sic opinatos, ostendit verum fuisse, et medetur sibi, ne offendat, dum adicit falso quosdam locutos. Sic nec omittit acerbitatem et honorem personae debitum servat.

§ 43. Cum quidam in contione dixisset.

Videtur istic vel ipsum Pisonem vel, quod ab aliis proditum est, Gabinium significare.

§ 45. Te, te, patria, testor et vos, penates patriique dii.

. . . Etiam ex hoc laudem discessui suo et gloriam veluti denuo conservatae rei p. temptat adsciscere, quod maluerit urbe decedere quam dimicationis obire fortunam. Quanta haec igitur vis oratoria est, ut exilium quoque magis virtutis eius quam poenae fuerit.

§ 47. Ut alii dicerent animos hominum <sensus>-que morte restingui, alii autem tum mentes maxime sapientium ac fortium virorum, cum ex corpore excessissent, sentire ac vigere?

Plenissime tractantur haec et ab ipso Cicerone in primo disputationum Tusculanarum, in quo de morte disseritur, et a Platone vel maxime in dialogo *περὶ ψυχῆς ἢ Φαίδων*, ubi copiosissime moriturus disputat Socrates non illum interitum sui, sed animae potius esse discessum,